



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 175. Vos videritis. v. 24.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

gastulum ingrediaris & roges clautos, quid causæ est, cur hic tenearis? Ecce omnes iustos, innocentesque audies, coram Deo & hominibus, puros ut solem &c. cum intus sint pleni peccatis iniustitiæ, invidiæ, livoris, sicut *sepulchra mortuorum plena osibus*, sicut tu scis Domine, *qui intueris abyssos scrutans corda & renes Deus*, & vere, nam cum considero memetipsum, existimo sæpe facere quod iustum est, & est ipsa sæpe iniustitia: zelum dico, & est passio &c. Dico studium religionis & verbi Dei, & est formalissima hæresis; Dico Reformationem, & est Deformatio excidium & exterminatio.

Domine, da gratiam, ut nunquam de memetipso securè sentiam aut prædicem bonitatem, sed temper stem in timore sancto tuo ne forte errem, ne faciam in conspectu tuo, quod displiceat in oculis maiestatis tuæ, nisi fulciar approbatione Ecclesiæ Catholicæ tuæ, quæ sola est firmamentum veritatis secundum te: Non persuadeam mihi, quod statim rectè sentiam, si aliquem textum scripturæ habeam, quo mihi videar fulciri, cum videam Pilatum manus lavantem, non esse purum.

§. 175. *Vos videritis.* v. 24

Quid hoc sibi vult, Pilate, quod dicit? *Vos videritis*, an nescis quod & principes Iudæorum & populus cæci sint, populus ex persuasionem principum, principes ex livore & malitia qua prodiderunt cæcitate suam quod hoc petant quod omnibus modis timere, cavere & deprecari debuerant, nempe ne eis Salvator auferretur, & latro donaretur: ne iustus damnaretur, iniquus salvaretur: Non scis, quod Rectores populorum ænigmaticè depingantur sceptro oculato? Tu autem præses es, Rex es &c. Valde male ergo dicit, Pilate, *vos videritis*. Tuum est videre qui in speculâ es constitutus ut videas quod iustum est, agas & defendas. non satis est lavisse manus, sed oportet etiam pedes & caput mundum habere, ut totum corpus mundum sit, & multo magis animam.

Domine Deus, talia geruntur in terra & dicuntur à filiis hominum, ut sit valde admirandum, quomodo tua patientia possit hæc tot centuriis annorum tolerare. verissimum est tui Apostoli dictum: *Mundus totus in malo positus est*. Multiplicantur Domine inutilia & nociva desideria super stellas cæli & cupiditatum insatiabilium non est numerus. quanto magis crescunt apponentia mundi utilia & delectabilia, tanto magis crescunt desideria filiorum Adæ, in similitudinem prævaricationis patris & matris eorum: ex quo factum est ut non solum iuxta numerum civitatum & familiarum, sed iuxta numerum personarum unumquisque faciat sibi idola sua, currens post ardentissima & vanissima desideria inimica immaculatæ legis tuæ.

Sed

sed ò utinam omnia corda hominũ converterentur ad te & desiderarent totis visceribus iustitiam tuam magna certe felicitas esset, nil velle aut cupere præter te & iustitiam tuam, sed & hoc non fieri universim tolerabile esset, at in peccatis ipsius excusationes Pilatinis similes nos indies pangere & compingere, hoc unum est oculis tuis indignissimum, nobis vero miserimum. O Deus, succurre,

§. 176. *Et respondens universus populus dixit: sanguis eius super nos & super filios nostros. v. 25.*

Vix Pilatus innocentiam Christi, & iustitiam eius coram tribunali exposuerat, quin statim interromperetur per populi universi impetuoso clamore, quod potius mallet pati, dissipari, annihilari, quam ut Iesus non traderetur morti, per verba sanguis eius super nos & super filios nostros. quasi dicerent: Culpa æque ac vindicta sanguinis Iesu, à te, ò Pilate, effundendi, quæ tu vereris, Deo vindice à te transferantur in nos, & filios nostros, ut si quæ hic sit culpa, illam nos cum posteris luamus, nullam enim agnoscimus, ac proinde nullam timemus vindictam, quare illam in nos audacter accessimus et si nos non sumus sufficientes numero vel viribus, ad portanda ista, ecce obligamur & assumimus posteros nostros omnes nobiscum. O miser! quid precamini vobis & filiis vestris? an ignoratis potentiam sanguinis huius & pretium? sanguis ille super pretiosa quæque mundi pretiosior est, una gutta exsuperat omnes thesauros cæli & terræ in pretio: potentia ignoratis? fortior est omni spiritu, vivit & vivet in æternũ: sicut est infinitus in pretio, ita infinitus est in potentia & fortitudine, neq; eius potentia neq; virtus minuetur unquam, hic quidẽ effunderetur in vindictam malorũ, præmium vero honorũ. Quid igitur appetitis portare eius fundendi vindictam, & non magis salutem, non est missus ut iudicet mundum, sed ut salvetur per ipsum. vere populus stultus & insipiens es tu, nescis, quid peras, aliter post 42. annos loqueris, cum Vespasianus aderit cum Tito vindex, & uti prædixit Daniel c. 9. usque ad consummationem & finem mundi perseverabit desolatio tua.

Deus fortis & potens, & cuius misericordiarum non est numerus, sit obsecro hic sanguis tuus tam pretiosus aliter super me, quam super Iudæos. nempe super me per honorem & adorationem in calice, & magis in me per sumptionem seu communionem in protectionem, defensionem, & salutem, in solutionem debitorum infinitorum apud æternum patrem tuum.

§. 177. *Tunc dimisit illu Barabam. v. 26.*

Post longam disceptationem pro & contra Christum habitam, victus à populo, & deceptus à seipso Pilatus maxime, quod orationem Pilati iniustitiam

P

tiam